Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

ALVO HÆMORRHOUSA,

QUAM

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Medicinæ Professore Ordinario,

PATRONO SUO VENERANDO,

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES

legitime consequendi,

publico examini submittit

LUCAS ALBERTUS PLATTENHARDT,

Esslingensis,

Ad Diem Aprilis,

Hor. locque sol.

TUBINGÆ.

Typis, Jo. Cunradi Reisii Viduæ.

Anno MDCCXXI.

22



Σ. Θ.



QUod intendere dicitur Natura Humana, ad ejus primum tamen conſpectum videtur cohorreſcere: metu fortè vano, aliàs juſto. Sanguis, vitæ theſaurus, ob id benè reconditus, ubi tamen foràs viam affectat, quem non percellit ſpectaculo inexſpectato? Quod Homo inſtituit Interior, Exterior mirum reformidat. Et habet rationem tam ab inſolito, quàm à ſuſpecto, ſiquidem & pro tali actu medicè bonum deſumitur ab integrâ cauſâ, malum à quolibet defectu. Hæmorrhagiæ fiunt in morbis non modò criticæ, ſed & ſymptomaticæ, quanto magis loco & tempore in-

congruæ, importunæ; etiam per ſanitatis latitudinem dubiæ, ut ſignum, ut cauſa: Ne de hæmaphobis in vel à phlebotomiâ collapſis quid dicam. Interim quàm familiares quibuſdam, tam non nullius etiam ſunt obſervantiæ & juxta aphoriſmorum ductum ordinis, niſi, cùm nulla regula ſit ſine exceptione, ſuas quoque patiantur anomalias. Latius ſe extendit hoc thema, quàm ut præſumamus tractare integrum; & ſunt eo ipſo declarato benè de publico meriti. Reſtringemus ergò ad partem modò & ætatem certam, illam inferiorem, hanc ſenilem, quæ quò fini propior, eò cautior obſervet media, ad eum ducentia. Cùm enim diſputandum fuerit nobis, libuit ſeligere bigam caſuum medicorum geminam, hiſtoriam ſc. alvi hæmorrhouſæ, cujus reſolutionem tentando, poſſit parari quid materiæ diſputabilis Dnn. Opponentibus. Quod dum aggredimur, divinam prius opem imploramus, &, mentionem ſanguinis humani impuri per has pagellas facturi toties, ſuſpiramus:

Sanguis Jeſu Chriſti, Filii Dei, emundet nos ab omni peccato!

C. I.

C. I.

SEnex, valetudinis diu firmæ, ab anno uno & altero sensim afflictæ, renitens tamen & à morbo nuper resurgens, liber jam in mensem alterum, & tunc orthostadios, sub nem anni novum sibi & suspectum symptoma sequentem in iodum narravit quondam:

Post noctem quietam, somni placidi, non pauci, cùm soleretur manè alvus, visus fuit Modus, Sensus Caloris, Consi:entia Liquidior, aliquid monstri alere; Comparuit itaque espicienti exclusus cruor merus, non parcus, non coagulatus. Nec hoc satis. Sed recurrit per vices dejectio talis sincera ter dhuc, ab octavâ matutinâ ad tertiam vespertinam; non ultrà, ed tunc substitit ultrò. Fuit autem excretio illa sine tenesmo, bsque dolore ventris aut dorsi, sine nausea, vomituritione, eliquio; non æquè cum torminibus, sed cum flatibus modò t levi prodromo urgentiæ ad alvum. Interim æger non æger bsque notabili alterationis sensu tulit id omne satis benè & fa-ile, per diem sedebat & ambulabat in conclavi satis alacris, on mutatus, nec siticulosus præter modum, cum pulsu propè aturali: Ullius autem similis eruptionis per vitam non memiit, ne quidem guttarum cum fecibus, aut tumoris vel doloris xtremarum ibi partium unquam.

Circumstantiarum plurium, pro declaratione talium cajum requisitarum, potiores & notiores suppetunt sequentes: enectus provecta in ætatis lustrum decimum quartum, annum :. sexagesimum septimum; Habitus corporis firmus, non crasis tamen, macer potiùs & fusci coloris, temperamenti sic, ion æquè animi, melancholici; Tempus anni solstitiale, ad psam Brumam, die sc. 23. decembris, tertio post PL. sub aere luvioso ad nivosum, cum mercurio (si quidem & hujus in prai medicâ habenda est ratio) ab imo ad medium scalæ scanente in baroscopio.

Hic

Hîc notare liceat paucis: per mensem istum auditum fuisse simile quid de alvo quibusdam personis cruentâ; sed quarum cùm non suppetat notitia sufficiens, pluribus nequit fieri mentio. Videbatur tamen circumstantia non planè prætermittenda.

Diæta nuper ex ratione mox dicendâ parcior & tenuior, aliquandiu iterum liberior & liberalior, erat apta utique subministrare materiam & motum erupturo ubicunque sanguini. Vitæ genus studiis quidem celebre, non ita tamen sedentarium, quin ad autumnum usque habuerit excursiones in campum, olim tamen benè frequentiores: qualibus motibus vegetis multum videbatur debere sui adhuc vigoris. Sc. natura ipsius activa seriùs quidem ac apud multos alios senectæ incommoda & languores sentiens, affligi tamen sensim coeperat affectibus dicendis; resistebat autem diu satis fortiter. Sanitas annorum multorum constans raris interdum tentabatur podagræ insultibus, gradu inferiore, remissiore, & catarrhorum molestiis frequentioribus; gaudebat autem beneficio narium humidarum.

Gravior tandem versus medium Octobris Ipsum corripuerat affectus: Asthma spasmodicum, periodicum, maximè nocturnum. Hoc ab itinere, conviviis, animi motibus, levi podagrâ citius justo remisisse visâ, & malleoli sinistri externi non profundâ, latâ tamen excoriatione ulcerosâ, ab æstate & frictione in thermis ferinis eò usque fluxui relictâ, tunc per chirurgum aquâ calcis, emplastris de sperm. ranar. de minio ut ajebant sanatâ, proximam habuerat occasionem in longiore sub aere frigidiore autumnali morâ. Inter & præter varia tunc ad & exhibita remedia, institutæ fuerunt binæ venæsectiones in pede dextro, aliàs ipsi non familiares, (per multa enim lustra sanguinem non miserat) cum insigni saltu; cum phænomeno (ut nec hoc Seni per suos morbos familiare prætermittam) urinæ nunquam tingi observatæ. &c.

Asthma

Asthmate igitur in tertiam septimanam frequenter gravi sensim remittente, emanente, tandem feliciter superato, per novembrem & decembrem Noster quondam ita liber, in publicum progressus, ut non nisi rariores & leviores interdum sentiret reliquias, duo notavit phænomena, profluvio isti cruoris ex alvo præcedanea: Sc. Nares præter modum stillarunt sanguinem, sed perparcè, non ultra paucas guttas, has tamen semel atque iterum; quod suspectum alias, nec medicè benè audit, stillicidium. Item absque notâ causâ torminosi quid percursoriè vexarat ventrem, cujus gratia pridiè injectum fuerat proprio consilio enema domesticum, (qualibus admittendis erat facilis) umbilico imposita theriaca, & ad noctem hausta emulsio amygdalarum, cum levamine & lenimine illarum strictu-rarum.

Tantum de prægressis; Subsequentium adhuc facienda mentio. Mutatio quidem excretionem illam utut largam & repetitam non fuit insecuta notabilis. Alvus die altero fecit officium, deponendo feces naturales; die tertio & quarto non recurrit symptoma illud, nec successit aliud, sed res Senis tunc mansit adhuc in eodem. Per menses & annos sequentes Ipse nihil tale sensit vel passus est amplius, alvo difficili non obnoxius. Supervixit autem lustrum adhuc integrum, per gradus infirmior usque, Catarrhosus, Podagricus, &c. vegeto fortè appetitu tandiu sustentatus.

Reflectendo animum super Casum hactenus propositum, quæstiones oriri videntur & ventilari poterunt sequentes: Quis Affectus? Quod ipsi Subjectum? Quæ Causa? Quæ phænomenorum Rationes?

Utrum fuerit Dysenteria? Non videtur. Præterquàm enim, quòd extra tempus illi ferè proprium æstivo-autumnale fuit, defuit etiam signorum pathognomonicorum biga, torminum & tenesmi violentia. Nec ita facile paucis expediri solet

Dy-

Dyſenteria propriè dicta. Niſi latius ſumatur pro dejectione alvi cruentâ quâcunque aliâ; Uti quidem in aphor. 48. ſ. 6 factum videtur: *Lienoſis dyſenteria* (utrum noſtro caſui ſimilis vel hæmorrhoidalis, conformiter aph. 11. ſ. 6.) *superveniens bono eſt.* Et qualisnam illa, de quâ ad aph. 2. & 20. ſ. 1. Heurnius: *Febris ardens in juvene per hæmorrhagiam, in ſene per dyſenteriam, judicatur.* Noſter quidem tunc erat apyretos.

Utrum fluxus fuit Hepaticus? Qui huc non quadrat, ſi chronico ipſi aquoſus & loturæ carnium ſimilis eſt, qui fundi tur ſanguis; cum ſignis cachexiæ pituitoſæ, pallidæ, ſubtumidæ. Quæ hîc defuerunt. Sin ad inteſtinalem quemcunque vel hæmorrhoidalem referatur ille, idem de utroque erit judicium. Nec alter Fluxus Hepaticus huc ſpectat, quo Hepar Diſſolutum egeri vulgò dicitur; quanquam & hic à vaſorum ſanguiferorum in ſtomacho vel inteſtinis aperturâ oriri, meritò ſtatuitur à *Nat. Cur. Ill. Præſide, Dn. D. Schroeckio,* in *Eph.* 3. 1. 165. Hepar tamen hîc prætermitti nequit, quippe terminus ad quem Venæ Portæ, imò per quem tranſeundum eſt ſanguini omni per arterias pleriſque imi ventris viſceribus advecto, & ex ipſis per portæ ramos in cavam transferendo; magni hinc in negotio hæmorrhagiarum alvinarum momenti, ſi quando ſe præbet difficile pro tranſitu.

Nec tamen Spleneticus. Eo ſenſu modoque, quo per vaſis brevis amplitudinem in ſtomachum redundare & regurgitare facit sanguinem. Quanquam & hujus portio dejici ſoleat per alvum, altera tamen, major fortè, ſolet evomi; ſed aliter ſe habens, concreta, grumoſa, magnam partem, nigra, præviis ferè turgidi hypochondrii & præcordiorum ſymptomatibus: imò accedentibus animi deliquiis. Cruor meſenterii non concreſcit in dyſenteriâ; aliàs verò diſruptâ ſtomachi venâ, protinus in ſtomacho grumeſcit. *Helmont.* ſextupl. digeſt. §. 37. Cæterum hoc ipſo tamen Lienis, Diverticuli, Glandulæ Sanguineæ, Succen-

:entutiatæ Hepati, reſpectus ad venas inteſtinorum maximè in-
ſeriorum earumque reſerationem, non negatur; modus tamen
tunc ſubeſt diverſus ab eruptorio in ventriculum.

Utrum ergò Hæmorrhoidalis? Quod videbuntur argue-
re phænomenorum antecedentium multa; in ſpecie Podagra,
dependentia hæmorrhoidalis, tam directa, quàm inverſa, ano-
mala, ſiccato etiam non cautè ſatis pedum fonte ad pectus re-
flexa. Equidem ætatem *aphoriſmi* 30. ſect. 3. Ille jam fuerat
prætergreſſus: Hæmorrhoidum autem externarum, tumen-
tium, dolentium, fluentium, nec ante nec poſt illud accidens
quidquam in ſuo ſe corpore obſervaſſe, reſpondit Senex, de il-
larum conditione informatus. Nec etiam internæ videntur
reſpondere ſatis aut congruere huic caſui, modo ſuo, quanto &
quoto. Aliter venæ hujus ſ. aureæ ſ. plumbeæ fluxum non mo-
dò parciorem guttatim, ſed & paulo largiuſculum, deſcribunt
experti.

Quid ergò reſtat? Quid, niſi vel hæmorrhoidalis hæc in-
terna vel hæmorrhagia inteſtinalis, ſuperior analoga inferiori.
Indè quæſtiones problematicæ:

Utrum apertio & recluſio vaſorum pro hâc evacuatione
ſingulari ſanguinis per alvum facta fuerit in quodam inteſtino-
rum tenuium vel craſſorum? Solent autem peti ſigna 1. ab or-
dine exitûs fecum & cruoris. Sed hunc merum prætendebat
Noſter, illas negavit, aut diſtinctè non obſervavit. 2. à tem-
pore, poſt monitorium circumvolutionis citius vel tardius ſub-
ſequente alvi ſolutione. In hoc caſu non præceps quidem per
modum incontinentiæ fuit elapſus, habuit tamen prævium le-
vem brevemque ſenſum veluti flatulentiæ urgentis. 3. â gra-
du modoque doloris. Sed de quo querelæ hîc fuerunt nullæ.
Ex Colo quondam deduxit Molas Viriles Mirabiles, cum ſangui-
ne ſeroſo multo, poſt gravem corporis perturbationem, deje-

ctas, *Exc. Prof. & Arch. Dn. D. Zellerus*, Patronus & Promoto meus piè venerandus.

Utrum fortior concipiendus sit impetus sanguinis per ar terias compulsi & expulsi: an difficilior transitus per dicta im ventris viscera, & repressio atque expressio venosi? Sunt, q per injectiones liquorem ex ramis portæ in intestina adegerun facile, longè difficiliorem ingressum per arterias experti; und concluserunt, in profluviis intestinorum sanguineis ex venis me seraicis, earumque glandulis obstructis aut spasmodicè constr ctis, sanguinem eò regurgitasse.

Denique, utrum ad analogiam renum & mictûs cruent per ductus hepatis excretorios, aliàs choledochos, velut p ureteres, fiat quædam sanguinis perruptio & excretio? Et qu bus signis hic fons dignoscatur ab alio quocunque? Quibus o servatus? Concipitur autem facilior multò in pelvem è re vasculoso & tubuloso fieri eruptio, quàm quidem è portâ v cavâ in poros choledochi.

Quæ tandem ratio hæmorrhagiæ hujus? Utrum exoner toria naturæ, depletoria abundantiæ, turgentiæ ventilatoria Bono fato determinata à superioribus ad inferiora, beneficiu hujus singulare; quia fuit non pauca quidem, suos tamen ma sit intra terminos. Nec fuit cum facie chlorâ, ex *Epidem. Hi pocr.* suspectâ.

Sed, cur non recurrit? Cur natura viæ hujus non gna tunc modò quæsivit ipsam & invenit feliciter: sed in posteru non repetiit? In talibus individualibus, nisi quantum ex pra missis erui potest, aqua, fatemur, nobis hæret: nec ullis fas e scire quidem mortalibus omnia. Hoc novimus, talem expu gationem non emansisse ob positum ipsi tunc impedimentum, ol staculum, posthac ejus exclusivum.

Hinc superest & examini subjacet ultima quoque po theoriam therapeia. Quanquam non parva fuerit tunc an

mo

morum perturbatio, ſanguinem tamen ſiſtentibus properare nec dum videbatur conſultum, nec adhuc neceſſe. Ex fonte diætetico prior potiùs ordinabatur rerum non naturalium & obſervabatur uſus legitimus; in ſpecie Vini potus intermittebatur, ad tempus, ſubſtituto decocto familiari glycyrrhizæ, cum tantillo cinamomi; ſiti quidem ut dictum non urgente. Cibus erat non niſi levis, lenis, mollis & parcus, cremor hordei, orizæ, pulticulæ, vermicelli, rad. ſcorzoneræ, cum gelatinâ eboris & cornu cervini. &c. per dies aliquot. Ex fonte pharmacevtico non fuit ſumtum remediorum plus, quàm nitri ſcrupulus, cum margaritarum & corallorum ana, duabus ad horam pomeridianam tertiam & quintam doſibus, in vehiculo aquarum domeſticarum, ceraſorum nigr. cinamomi cydon. cum tantillo ſyr. papav. erratici. Ad noctem ſcrupulus dimidius familiaris Ipſi corticis chaquerille, cum radic. gentianæ ſex, maſſæ de cynogloſſa tribus granis, in formâ pilulari deglutitus. Nihil ultrà; tunc quidem. Quæ tamen vellicationibus ſubindè podagræ, & catarrhorum vexationibus, nervis maximè poſthac afflictis & infirmis, ſolitus fuit deſtinare vel opponere, ſpectat aliò; uti etiam cura fonticuli, repetitæ venæſectiones, &c. Enimverò in exemplum declinationis miræ & miſeræ ſenilis dari poſſent plura ex ſequentibus medico examine non indigna, cùm fuerit dicendum etiam de noſtro: quantum mutatus ab illo! Sed hâc vice videbatur manendum intra terminos thematis.

C. II.

SEnior Priore, luſtris quidem tribus, adeoque Grandævus, ſed & viribus infirmior, corporis temperamento diſſimilis, appetitu eò usque bono & liberiore diætâ ſimilior, tempore anni diverſo, alterum præbebit exemplum Alvi Senilis perinde Hæmorrhouſæ. Sc. menſe, quo turgere quotannis incipit natura, martio, verſus æquinoctium, quarto poſt P.L. (ſub

quâ præ cæteris lunæ phasibus prætendebat se plerunque pejus habuisse) aere post præcocem februarii virorem nuper iterum nivoso, gelido, tunc inconstante, temperatiore tamen, baroscopio ultra scalæ medium per dies plusculos elevato, (ut constet, non esse constans, sub lapsu tantùm contingere hæmorrhagias) atque adeò juxta *aphor*. 20. *sect*. 3: *Vere fiunt* inter alia *etiam fluxiones sanguinis.*

Tali tempore Laudatus Senex profluvii per alvum cruenti prævia dedit signa: Venarum per artus plenitudinem & turgentiam insignem; (non solebat autem earum admittere sectionem) Fonticuli cruentationem largiusculam, non tamen narium; Puncturas nuper vel stricturas per dorsum; Alvum diu pertinacem, ut durius sæpè ad fecum exclusionem fuerit laborandum. Ad hanc molliendam & leniendam usus butyro recenti non parcè, bibit acidularum multum, has enim hîc nidernauenses, alibi gœppingenses, habebat familiares, laudare ipsas solitus ad intemperiem dicendam, interdum & ad noctem hausit emulsionem temperantem. &c.

Die nono igitur martii ad vesperam, ab alvo solutâ præter morem faciliùs, sine tali laborioso actu, observabatur excrevisse cum fecibus cruoris multum, per noctem iterum non parcè, & decimi mane porrò sanguis, purus, ruber, liquidus, vix cum grumulis, comparebat: ita ut vicibus intra nycthemeron quinque voluerit æstimari excreti quantitas ferè ad mensuram dimidiam.

Ad consternationem Suorum non parvam: dum Ipse animo firmior, observans se non adeò malè ferre hanc qs. sanguinis missionem, nec defectum adhuc indè sentiens vel virium (sc. superstitum senilium) vel in appetitu, pulsu sic satis constante & æquali, qualis ipsi per tantam ætatem mirum quàm solennis, siti tolerabili, &c. paucis sub hoc quoque evacuationis actu necdum comparente mutatione notabili, animos suorum

rum erigebat, ſinere aliquantiſper, obſervare naturæ tolerantiam paratus, medicamenta præter ſua ſibi hactenus familiaria non petiturus, vix admiſſurus.

Quandoquidem hic Senum alter & major communia cum priore habet multa, quæſtiones itaque priùs propoſitæ recurrunt pleræque omnes, caſusque alter alterum illuſtrat & declarat. Duæ hujus poſterioris circumſtantiæ, alvi difficultas prægreſſa, & conjunctus in primâ ſolutione alvi fecibus cruor, allegari poterunt pro ſubjecto & fonte in ultimo inteſtinorum & infimo, ſ. pro fluxu hæmorrhoidum interno: Cujus etiam præparatorii per dorſum motus ſui dederant indicium, quibusdam ibi novis non tamen magnis dolorum querelis. Sed quæ in reſolutione caſûs prioris obſtare videbantur rationes, & hîc aderant, ſc. emiſſi quantitas, quotitas. Modus ipſe ordinis & permixtionis ita nec obſervabatur aut deſcribebatur, ut determinari ultrà poſſit. Nec aliàs guttæ vel ſtriæ in detergendo, nec mucus indè fluendo, vel tunc vel priùs, erat in communicatis & reſponſis ad quæſita: niſi quòd & hîc dolere vel tumere quidquam fuerit negatum.

Ergò non tam ſepoſitis quàm ſuppoſitis capite priore propoſitis quæſtionibus, cum tentamine reſponſionum, ulteriùs attendi merentur & diſquiri phænomena ſequentia: Hæmorrhagia iterum ſenilis, & ætatis adhuc benè majoris, & naturæ infirmioris, magis afflictæ, ut mirum fuerit, & ſuppetiiſſe adhuc quantitatem juſto majorem, quæ poſtulet imminui, & viguiſſe adhuc motum internum, qui urgeat, & arguat, Facultatem Expultricem ſ. gravatam ſ. irritatam. Nec enim in his caſibus per modum ſimpliciter deſciſcentiæ, incontinentiæ, ſ. termino Veterum Facultatis Retentricis merâ debilitate factam fuiſſe hæmorrhagiam utramque inteſtinalem, phænomenis conſentaneum eſt, ut cæteris, ita ſubſequentibus. Et quanquam ſanguis erumpat facilior, quo ſeroſior eſt & fluxilior, nondum tamen ta-

lis & tanta fuit hîc vinculorum Ipsius vitalium dissolutio, ut in-
tulerit hæmorrhagiam vel particularem nimiam, vel ferè uni-
versalem, maculis insignem suspectissimis; qualem singular
quondam dissertatione cautè observandam docuit *Laud. Exc*
Dn. D. Zellerus.

Auget admirationem dicta depositi cruoris quantitas. Ni-
hil paucum dicitur criticum. Quanta venæsectionis vel missio-
nis sanguinis hîc naturalis alibi artificialis differentia? Si gran-
dævo intra istas 24. horas ex venâ vel venis per chirurgum aper-
tis missæ fuissent libræ duæ, quantum indè publicè foret murmu-
ris, nec immeritò. Vide tamen & mirare observationes i
E. N. C. cent. 6. nr. 2. & sqq.

Undè pro complemento historiæ rarioris accedit non tan-
tùm deperditionis tantæ facilis tolerantia, quasi superfluum mo-
dò fuisset emissum, verum etiam hoc insolitum & improvisun
absolutum fuisse intra diem naturalem, nec post se traxisse re-
cursum, relapsum. Dum aliàs actuum etiam p. n. & in speci
hæmorrhagiarum & hæmorrhoidum datur consuetudo nimi
quàm facilis, periodorum frequentia.

Vel à venæsectione vulgari, etiam senili, intermissâ, se
qui monitoria, quæ ipsius exigant repetitionem, observatu
Inter exempla passim nota memoriæ jam obversatur quoddan
vetulæ, quæ septuaginta annos missionem sanguinis vere hacte-
nus solennem vel non requirere, vel non admittere amplius
rata, inquietudines indè, calores, palpitationes, cum dolori-
bus capitis & dentium, nova sibi phænomæna, sentiens & pa-
tiens, quin hæmorrhagiam narium experta, ad istud anni tem-
pus, eapropter repetere maluit suam VS. utut parvula, ex suc-
ca, rugosa, & sensit inde levamen, & perrexit adhuc all
quoties. ——

Liceat hîc paucis etiam proponere exemplum hæmorrha-
giæ Narium Senilis Spontaneæ, raræ, quia frequens, larga
fac

facilis tolerantiæ. Scilicet Senum in hâc urbe, quod credide-rim, maximè Senex, de quâ *Cætonites* olim ad *Lentilium* in ... eteodromo, Spasmo Clavi Hemicranii tandiu gravi obnoxiâ, ultimis annis, vere & autumno, aquè vegetam sustinuit hæmorrhagiam talem & superavit, ac juvenis; ex illâ quidem lateris afflicti nare: æquæ utique cruori excepto circumnatavit multum, sed & illi non pauco.

Benè quidem ista, in tantum, sed aliàs sæpè malè notatur fluere sanguis, maximè sub prædicato novi, insoliti, suspecti, etiam apud ætate minores, quanto magis apud tales, metæ adeò propinquos. Tam ex naribus quàm ex alvo fluxum talem, mictum quoque cruentum, fuisse Senibus prodromum tristem, gravioris subsecuti fati, Apoplexiæ, etiam docuerunt exempla. Non ita impunè aperitur vena in cerebro, nec cranium ita emittit, uti egerit alvus, cruorem. In summo talium casuum qualis interdum & quanta sit naturæ contentio, fortè ex ipso ultimo patet conatu, sive motu totius concussorio ad mortem, cum cruoris per os & nares eruptione.

Constat etiam, venam in extremis & infimis aperiri solitam, dictam fuisse auream, à longævitatis spe; præservando ut liberando à periculis & morbis. Sed notum est non minus, requiri tot circumstantiarum concursum, ut prædicatum mereatur bonum, ut sit inter rarius obtingentia: aliàs aberrationibus, anomaliis, variè obnoxia. Aliud ergò est fluxum sanguinis periodicum servare ordinem, tenere modum, &c. & aliud, talem insolitum venire ita qs. ex abrupto.

Revertendo ad Presbyterum, ex ordine phænomenorum subsequentium supersunt duo: Nec hîc egestioni illi alvinæ cruentæ intra dictos quos observavit terminos opposita fuerunt schema. Præter paucas Nitri, simplici permixtione Perlati, doses non admisit Aromatis hujus Frigidi ex *Verulamio* sive patronus sive cliens; Fuit enim Ille ipse, cujus facta quondam

fuit

fuit mentio in disp. d. nitro. A multis autem annis prætendebat hoc suæ naturæ conveniens, negabat, quantumvis senex, se ferre aromatica calidiora, utpote à quorum usu soleat pati palpitationes cum intensione caloris interni: præ quo per vitam aliàs sanus, facie rubellâ, non tamen pinguescens, de ipso in extrema adhuc ætate non raro querulus.

Quæ debilitati senili analeptica, quæ catarrhis frequentioribus pectoralia, lenientia, laxantia, &c. destinare aliàs fuerit solitus, non tamen Podagræ obnoxius, de speciali modò symptomate extraordinario soliciti seponimus: & *Lect. Ben.* commendamus Valetudinarium Senile, quod publico bono reliquit Præsidis *B. Parens*, & *B. D. Caroli.*

Illud tamen non prætermittendum, quod suprà inter phæ nom. antec. per remotionem fuerat dicendum; hunc sanguini fluxum non concitarat usu aloeticarum s. pilularum sive elixi rium justo frequentiore vel largiore. Idem dictum puta de Sene Priore.

Alterum ex succedaneis notabile est Venæ Sectio: De qu per 40. annos intermissâ ob grandem ætatem nemo cogitara amplius, deliberatum fuit denuò, cùm metueretur vel recursu fortè importunior, vel decubitus retenti ad locum majoris mo menti; hirudinum autem sedi applicatio vel locum non habe ret vel non placeret. Sene Ipso igitur inclinante, medico no repugnante, medio maji secta fuit vena brachii dextri. Ob stabat in pede tumor oedematosus, subtumebant etiam manu & rigebat parum inflexi cubiti articulatio; operatio tame successit feliciter. Quo ipso audacior missionem repeti volui autumno & vere anni sequentis. Inter alias fortè rationes ap petitu bono subministrante materiæ satis; & viribus respon dentibus s. concedentibus adhuc utcunque, non tam extern corporis, s. artuum, quippe sellæ inhærens motu progressivo fe rè carebat, quàm cerebri, cordis, stomachi.

Ete

Etenim vixit ab istâ Profusione adhuc per sesqui annum, lteriorem nullam posthac expertus: Donec tandem autumo, qui malè audit *aphor.* 9. s. 3, gravioris ab insultu catarrhi soto languidior, abriperetur acutè.

C. III.

SEd variant mirum quàm fata mortalium: Quæque, manendo aut pergendo in nostro themate, egerit alvus, dicto modo, procedunt Comitata interdùm Symptomatibus ravioribus, eaque inter maximè Deliquiis, tam cum, quàm ne Vomitibus. Transeant modò Vomitûs Cruenti casus meorabiliores, qualis vel olim à *Præsidis Germano*, Patrono Meo enerando, curatus & descriptus legitur in *E. N. C.* 3. 6: Sanuis hîc consideratur ut catarrhopos, non anarrhopos. Hinc gæ Priori jam Bigam alteram subjungemus, diversimodè se ibentem, nec parili gavisam sorte, quæ eo ipso tamen, quo distinguit ab illâ, distinctam meretur considerationem: conaria juxta se posita magis elucescunt.

Fuerunt duo Priores Senectæ Mediæ & Extremæ Viri, seatur Tertius, Primæ adhuc intra annos constitutus, prope xagenarius, habitûs corporis brevioris, crassioris; cui als hæmorrhousa non perindè fuit indifferens, sed fati prænuna. Sc. per tres annos tetigerat duri quid, magnitudine ut ajet thaleri, in vel sub latere dextro, per sinistrum liber; accesserat olor quidam obtusus gravativus premendo molestus in hoc ypochondrio, cum appetitu non abolito, ut cibos tamen ultos non ferret ob hanc ipsam molestiam hypochondriacam, m siti majore: A vomitu ciborum & pituitosi muci (nunquam nguinis) sæpè sibi parum levari visus, sed nunquam constant, utut enim gravamen illud fuerit non semper æquè magnum nquam tamen plenè remisit. Loco illo etiam externè comesso, & decubitu super latus ægri dextrum, vomitus prodebat facilior. Tandem ergò hic æger adhuc orthostadios

tempore quidem verno noctu alvum aliquandò soluturus mira-
tur fieri subitaneam & involuntariam qs. eruptionem magnâ i
copiâ; cui cum sensu indicibili (ut posteà narravit Ipse) alicu
jus è ventre ascendentis vaporis mox supervenit deliquium. Vi
debatur operæ pretium inquirere in id, quod modo ita insoliti
cum tantâ alteratione fuerit dejectum: Et dicitur comparui
se colore atro, qs. piceo, Cruor partim concretus partim ad
huc fluidior. Post aliquot septimanas recurrit talis deliqui
comitata rejectio: inde secutus pallor, languor, sudor facili
urina vix mutata, pulsus citatior. Necdum erat malorum f
tis: Supervenit tertiâ vice similis materiæ atro-rubræ deject
larga; undè his tribus intra ultimum vitæ quadrantem conf
ctus æger occubuit. Vomitus dicebatur præcessisse illarum s
lutionum alvi unam vel alteram, nescio præcisè quam, no
tamen omnes. Evanuerat ante obitum Scabies quædam parv
diu admodùm mordax. Adde & hæc duo: Causæ occasion
lis, externæ violentiæ, nihil præcesserat; Cruoris vel multi v
pauci ex alvo, aut doloris per extremum loci, etiam præcess
rat nihil.

Aliàs solet *Morbus Niger Hippocratis* ab isto excretorum c
lore dictus deduci ab hypochondrio sinistro, s. referri ad Li
nem: Sed hujus affecti signa hoc in casu non comparebant. P
tior hypochondrii dextri & eorum quæ sub ipso latent habend
ratio. Cùm neque venter post mortem fuerit inspectus, nequ
suppetat farrago remediorum morbo frustrà oppositorum, qu
ad examen proponi possit: Quapropter in re obscurâ & dub
proponemus modò iterum quæstiones disputabiles:

Utrum subjectum Tumoris, qui tangebatur manu, fuer
Lobus quidam Hepatis auctus vel excrescens, induratus, scir
hosus, premens Stomachum? Scabies, Sitis, Sudor, &c. forsan a
guerent hoc Viscus. Vel Pylorus, Pancreas, aut utrumque? V

mi

mituum enim talium ratio in horum tumore, obſtipatione, occluſione, conſtitit aliàs per anatomiam practicam.

Porrò, Fons profuſæ illius materiæ piceæ & cruentæ, utrum fuerit ipſe Locus ille Affectus; venis diu extenſis fortè varicoſis tandem ruptis? An verò Sanguis hoc ipſo tumore in ſuo circulo impeditus coactus fuerit erumpere alibi. Ubi? Non in ſtomachum, ob nullum vomitum cruentum. Ergò in aliquod Inteſtinorum.

Denique Uter ex *aph.* 22. & ſqq. ſect. 4. ad hunc quadret caſum & ſequentem? χολὴ μέλαινα, ἢ αἷμα μέλαν? Duo enim ſunt nobis humores, qui p. n. nigreſcunt: Bilis & Sanguis. Quem alterum hactenus ſubfuiſſe caſuum quadrigæ ſtatuimus. Sed, utrum ille morâ, vel ab acido, ex rubro deſiit in atrum?

C. IV.

SUpereſt Quartus ex Selectis ad thema noſtrum: Sed Hic nondum Senex, annorum tamen 47. mediocris corporis habitûs, Miniſterii pariter Eccleſiaſtici, præter moleſtias Iſchiadicas longas Sanus, officio devotus, poſt Preſſionem Præcordialem per aliquot veſperas, tragæâ non levandam, in viâ ad Sacra Veſpertina vertigine & horripilatione prehenſus, vix Templum attigit, ibi concidit, Deliquio correptus gravi. Ex quo ſenſim ad ſe rediens, capite turbato, auribus ſuſurrantibus, domum delatus, dejecit ſtatim per alvum, quæ à ſuis dicebantur planè nigra; nec ſemel, ſed aliquoties, parcius tamen uſque per dies duos treſve. Videbatur Ipſe ſibi valere iterum meliùs, reverſa etiam alvus in ſtatum naturalem, cùm die quinto manè largiter iterum ſolveretur liquidis nigris, dictis piceis, comparatis atramento ſutorio, diffuſo ſuper aquam ſubjectam ad inſignem nigritiem. Nihilominus demùm poſt hujus diei cœnam, non ſine appetitu abſolutam, circa horam noctis nonam, præviam iterum vertiginem, tinnitum aurium, horridum per poſtica

ſtica dorſi aſcenſum, &c. excepit deliquium nupero non levius Sed per Dei gratiam nullum abhinc amplius. Prius fuit d. 19 Novembr. alterum poſt d. 21. Novembr. Abhinc alvus quoti die quidem deponebat pauca ſed duriuſcula, concreta, nigra uſque ad quartum Decembris, quo poſt noctem non malam præ vio inſolitæ amaritiei in os aſcendentis ſenſu tamen deorſum tandem mota natura obſervata fuerit dejeciſſe feces iterum na turales, non ſine muco tamen. De cætero cum his dej. & del nulli dicuntur acceſſiſſe vomitus: A primo actu preſſionem præ cordialem remiſiſſe: decubitum utrumque fuiſſe liberum, in differentem: hyponchondria nec dura, tenſa, nec dolentia Uti quidem ſcribebatur. Evaſit autem Hic feliciter; Supereſ & valet adhuc poſt annos benè multos.

In hoc caſu, Collateralis hæmorrhoidibus Iſchias, prætenſ Hypochondriorum libertas, dum premebatur Epigaſtrium, ab ſentia Vomituum, dum ad infra ruebat impetus, procedens ac tantam naturæ conſternationem, &c. Hæc talia cum ſe refe rant ad quæſtiones illas dubias, ventilationi priùs deſtinatas pro determinando præciſiùs ex portæ venâ Fonte cruoris, diverſi adeò per hos caſus, &c. atque adeò cùm Controverſiarum Theoreticarum videatur eſſe ſatis: Sub finem ergò ſubeat examen Therapeia, ſive Conſilium, per literas ad petitum properè tranſmiſſum.

Binis quidem Vicibus. Primâ: Ex intuitu prægreſſi doloris, ſi pulſûs, ſi virium admiſerit ratio, mittatur adhuc Sanguis ex venâ pedis ſiniſtri illâ, cui nomen iſchiadicæ. Injiciatur in gratiam non inteſtinorum modò ſed & viſcerum vicinorum, ſanguinis circuli præſidum, Enema per dies alternos ex dec. flor. verbaſc. herb. trifol. fibr. cum ol. chamomill. multo, & doſi nitri. Epigaſtrio modò imponatur linteolum Aq. Hungariæ madidum calens, modò illinatur oleum roſarum camphoratum; Hypochondrio ſin. detur ex more recepto ol. Capparum; Impoſitis

utrin-

utrinque desuper sacculis chamomill. menth. verbasci; Nec desint suppedanea ex fermento, rutha, sinapi, juniper. cum aceto; Si recurrat (quod Deus avertat) parox. naribus acetum rosac. aqua hungar. vinum, esto pro refectione externâ.

Internè detur manè, vesperi, noctu scrupulus, drachma semis, pulveris ex Nitri puriss. drachm. duabus, corallorum, crystallorum, antimon. diaphor. cinabaris ant. præpar. ana drachm. dimid. Horâ ante prandium & cœnam guttæ quadrag. tinct. mart. cydon. & elix. aperitivi. Vehiculum esto vel aq. domest. senec. veronic. v. cerasor. vel jusculum, vel infusum theiforme, frequenter sorbillandum, ex summit. millefol. man. sesqui, meliss. dimid. flor. cichor. nymph. borrag. bugloss. ana pug. un. Temporis quod reliquum est habeat Electuarium: Cons. rad. cichor. unc. una. acetosell. meliss. ana unc. dim. alkerm. c. spec. diacret. ana drachm. syr. cichor. q. s. Diæta præscripta prolixiùs hîc recensenda non videtur, non quòd non necessaria, sed quia valeat illud Tiberii apud Tacitum. Æquum foret postulatum à tali Viro: Sui Ipsius esse Medicum, hâc quidem ex artis parte. Vino tamen in specie interdictum, substitutum fuit decoct. rad. cichor. cum passulis & cinamomo. &c.

Alterâ vice: Sumantur per dies quatuor aut sex pro effectu & tolerantiâ, mane alterno, modò Rhabarbari drachma dimidia, modò Nitri scrupulus semis, cùm Diacretæ scrupulo. Ad vesperam Essentiæ Millefolii guttæ quadrag. Singulis noctibus pilulæ novem pond. grani unius, Extr. rhabarbar. cichorei ana part. duab. trifol. fibr. aloes præpar. myrrhæ, gumm. ammoniac. ana. part. un. mastich. benzoes ana part. semis. Cibis omnibus admisceatur diu largiter Gelatina. Posthac usurpentur Juscula recent. rad. cichor. herb. endiv. nasturt. aq. alterata.

Norit autem Æger, per Dei gratiam convalescens, si maximè requiescat Sanguis, quàm sit cauto opus, ne recrudescat, ut moris est mali huic morbo: Itaque census fuit institutus sex rerum non nat. cum applicatione ad hunc ægrum.

TANTUM.

COROLLARIUM.

ETiam Infantibus obſervatur prodire cruenti quid ex alv interdum quibusdam: Non illis modò, quibus laboran dum eſt ad feces duras, inter alias fortè cauſas etiam lacte ſpiſſo Vaccæ vetulæ gravidæ, ad ſudorem capitis, ad gut tam unam & alteram expreſſi cruoris; verum etiam in alter infantiæ gradu conſtitutis, majuſculis, quibus abſque tali diffi cultate liberius & pluſculum fluxit cruoris liquidi, ut ex impro viſo, ſic inconſtanter, & abſque evidenti nexu cum morbo ali quo, niſi dentium, vermium, ſimiliſve ratio videatur ſubeſſe aut præcox hæmorrhoidum. Fuit autem extra tempus, præ ter morem, dyſentericum.

SOLI DEO GLORIA.



INcipiat vernare Tibi Fortuna, feratque
Fructus multiplices, flante Favore Dei!

Clar. Dno. Candidato gratul. scr.

Præses.

CUm plures eadem passi egessere cruenta,
Cur non eventu fata eadem referunt?
Disputa, & eventûs causas scrutare latentes!
Constanterque Tuas res quoque prosper age!

Nobiliss. Dn. Licentiato Plattenhardt gratul.

Elias Camerarius D.

SAnguinis ut fluvium medicina tollis in ægro:
Sic Sanguis Christi sit Medicina Tibi.

WIe Er den Blut-Fluß heilt: so seye Christi Blut
Auch Ihm mein werthster Freund/ vor alle Schäden gut.

Ita Nobilissimo Domino Licentiato, Amico & Convictori suo suavissimo, æstumatissimo ex animo precatur

Christianus Hagmajer,
P. P. O. & Contub. Rector.

CArmina quid poſcis, debes ſpatio huicce Co-
rollas:
Litibus haudquaquam Verſibus hic locus eſt.

Nobil. & Clariſ. Domino Candidat
in anteceſſum opponit
proſpera quæque precatus

Alexander Camerarius, D

DE Cathedrâ ad Lectos Ægrorum tendis Ami-
ce,
Ut ſpero Felix dexteritate Tuâ.

Hoc debebat amicitiæ monu-
mentum
Clariſſimo Domino Candidato

Michael Elvvert
Lib. Imp. Reutlingæ Phyſicu

DIſcurſus Medicus benè ſcribitur Atramento,
Verum Anima in Rubro eſt Sanguinis Ho-
ſpitio.
Ergo hunc Theſaurum Vitæ ſervare ſtudeto!
Adſcribam Claris ſic benè Te Medicis.

Philiaten

